

*16th Sunday after Pentecost – Luke 14. 1-11*

*IN illo témpore: Cum intráret Jesus in domum  
cujúsdam príncipis pharisæórum sábbato manducáre  
panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo  
quidam hydrópicus erat ante illum. Et respóndens  
Jesus, dixit ad legisperítos et pharisaéos, dicens: Si  
licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse vero  
apprehénsus sanávit eum, ac dimísit. Et  
respóndens ad illos, dixit: Cujus vestrum ásinus aut  
bos in púteum cadet, et non contínuo éxtrahet*

illum die sabbati? Et non poterant ad haec  
respondere illi. Dicebat autem et ad invitatos  
parabolam, intendens quomodo primos accubitus  
eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ad  
nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte  
honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is, qui  
te, et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum: et  
tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.  
Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in  
novissimo loco: ut, cum venerit qui te invitavit,

*dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi*

*gloria coram simul discumbentibus: quia omnis, qui*

*se exultat, humiliabitur: et qui se humiliat,*

*exaltabitur.*